



P. 5. 68.
Pr. 9. num. 55.
9
DISSE^RTAT^IO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE

**BENEFICIO EXCVSSIONIS
POSSESSORI HYPOTHECAE SPECIALIS
NON COMPETENTE**

C. 194
QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

**P R A E S I D E
FRANCISCO CAROLO
CONRADI**

SERENISSIMO BRVNOCENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM
DVCI A CONSILIIS AVLICIS ANTECESSORE IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA ORDINIS IVRECONSULTORVM
SENIORE ET H. T. DECANO

**PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI**

IN IVLEO MAIORI


AD D. XXI. SEPTEMBRIS MDCCXXXVII.

HORIS CONSVETIS ANTE ET POST MERIDIEM
PVBLICAE DISQVISITIONI

SVBMITTIT

HENRICVS CHRISTOPHORVS REDEKER
HAGA SCHAVMBVRGICVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPogr.







DE
BENEFICIO EXCVSSIONIS
POSSESSORI HYPOTHECAE SPECIALIS
NON COMPETENTE.

I.

IVS NATVRALE HYPOTHECARVM.

Res ipsa loquitur, creditorem, qui sine pignore fidem habere noluit, magis pignus, quam debitoris personam spectasse, eoque securitatem crediti sibi quaeſiuiffe. Vere non minus, quam argute MARTIALIS Lib. XII. Epigr. 25. agrum oppignoratum pro ſe ſpondere, et creditorem non ſibi, ſed praediis ſuis, fidem habere dixit:

A. 2

Quum

DE BENEFICIO EXCVSSIONIS

*Quum rogo te nummos sine pignore, non habeo,
inquis,*

Idem si pro me spondet agellus, habes.

*Quod mihi non credis, veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis arboribusque meis.*

Quumque valde incommodum sit debitoribus, mutuam pecuniam sumentibus, statim decidere possessione rerum suarum, quibus creditor i caueatur: vsu exigente et humanis necessitatibus inualuit, vt fundi, aedes, agri adsignentur, ex quibus, solutione non facta, suum nancisci possit creditor, et quae sine traditione obligata sint ipsi maneantque, etiam si debitor in alium transtulerit rem obligatam. HYPOTHECAE vocabulum in hoc pignoris genere receptum est, ad significandum, rem, licet non traditam, tamen *υποτεχίαν, suppositam* creditor i esse, h. e. pignoris nexu, cum ipsa re ad quemlibet possessorem transeunte, deuinctam. Etenim, secundum naturalem rationem, tale ius ipsi rei inhaerens solo etiam consensu et passione induci posse, constat. PUFENDORF de Iur. Nat. et Gent. Lib. V. c. IO. §. vlt. SCHILTER. Exercit. ad Pandect. XXXIII. §. 2. Perill. L. B. de WOLFF Iur. Nat. Part. V. §. II43. seqq.

II.

ACTIO HYPOTHECARIA IURE PRAETORIO
INTRODVCTA.

Non

Non tamen tulerunt veteres iuris Quiritium regulae, ut ex hypotheca, nudo pacto constituta, suppetret in rem actio aduersus quemcunque possessorem: quum creditor non posset rem suam dicere, pignori nuda conuentione obligatam. Itaque, ut creditor dominium, ex eoque in rem actionem, consequeretur, oportebat rem ei ex iure Quiritium mancipari, aut apud Praetorem in iure cedi, contracta fiducia, i. e. addito pacto, ut res, debito persoluto, remanciparetur. Illo deinde iure, quod Praetor supplendi et corrigendi iuris civilis gratia, propter utilitatem publicam, introduxit, pignorum quoque ius ad naturalem simplicitatem reuocauit. Etenim quum fiducaria illa mancipatio et in iure cessio plurimum incommodi haberet, ceu docte animaduertit GER. NOODT Obsérn. Lib. II. c. 8. et Comm. ad Pand. p. 432. receptum est, ut, quemadmodum, fiduciaria mancipatione aut cessione in iure facta, poterat creditor pignus, quasi dominus, iure ciuili vindicare, ita, si res nudo pacto esset obligata, ius in re atque facultatem haberet creditor rem sibi obligatam a quocunque possessore repetendi, quamdiu non solutum esset debitum, neque pro eo satisfactum. SERVIO, quisquis ille fuerit, aequitatis consultissimo Praetori, hoc debetur, qui Edicto promisit, seruaturum se hypothecas, nuda conuentione in rebus coloni inuestitis, inductis, illatisue consti-

A 3 ~~THE COMMITTEE~~ tutas.

tutas. Vnde **ACTIO SERVIANA** substantiam cepit, ad persequendas res illas pro mercedibus fundi obligatas: cuius ad exemplum, *I. i. C. de precar.* **ACTIO QUASI SERVIANA** a Iureconsultis formata, qua credidores pignora hypothecasue quascunque persequerentur, inde **HYPOTHECARIA** vocata, *§. 7. Inst. de Act.*

III.

LIBERVUM CREDITORI FVIT AGERE CONTRA PIGNORIS POSSESSOREM, NON EXCVSSO
DEBITORE.

Haec origo, haec ratio iuris in re competentis creditori, *I. 19. pr. D. de damn. inf.* et actionis de pignore iure honorario pacto nascentis, *I. 17. §. 2. D. de pact.* quae proinde, ut natura actionis in rem postulat, aduersus quemlibet possessorem datur. Neque distinxit Praetor, vtrum creditor personali actione prius egisset aduersus debitorem, an vero hypothecaria actione statim peteret rerum a debitore pignoraturum possessorem. Fuit itaque relictum arbitrio et electioni creditoris, an, solutionem differente debitore, ipsum prius conuenire et excutere, an possessem hypotecaria actione pulsare mallet. Liberum hoc illi fuisse, non solum ex eo intelligitur, obseruante **FRANC. BALDVINO de pignor. et hypoth. c. 14.** quod **SCAEVOLA** in *I. 19. D. qui pot. in pign.* memini-

nit

nit creditoris hypothecarii, qui quum posset debitoris heredes idoneos conuenire, fundi tamen oppignorati possessorem impetrat: sed euidentissime apparet ex rescriptis Imperatorum DIOCLETIANI et MAXIMIANI, quibus id iuris certi esse, declarant. Ita enim illi in l. 14. C. de pignor. et hypoth. *Distractis a debitore pignoribus, creditores potestatem habere, utrumque personali obligatos sibi, an pignora possidentes in rem actione conuenire velint, non est incerti iuris.* Et in l. 24. C. eod. *Persecutione pignoris omissa, debitores actione personali conuenire creditori vrgeri non potest.* Idem in l. vlt. C. de oblig. et act. rescriperunt: *Est in arbitrio vestro, personali debitoris heredes actione, an eum, qui ab his distractis sibiique tradita pignora tenet, in rem Seruiana, si non longi temporis praescriptione munitus sit, an utrosque conueniat.* Ita vero omnino et naturalis et civilis ratio iubebat: quoniam, hypotheca constituta, ut diximus, magis rei, quam debitori, creditur, et rei creditori suppositae obligatio transit ad quemuis possessorem, neque causa pignoris mutatur, quum res creditoribus obligata alienatur, l. 4. C. de euic. imo natura hypothecariae actionis ita poscit, vt, si creditore non remittente pignus, debtor ea, quae illi obnoxia sunt, venundedit, integrum et promptum creditori ius sit ea persequi, l. 1. C. de precar.

III.

III.

DUBIA EX L. X. C. DE PIGNOR. ET HYPOTH. ET
EX L. XXXXVII. D. DE IVR. FISCUS
REMOVENTVR.

Non obstat, quod in l. 10. C. de pignor. et hypoth. iidem, quos paulo ante nominauimus, Imperatores rescriperunt: *Debitores praesentes prius denunciationibus conueniendi sunt.* Igitur si conuenti debito satis non fecerint, persequenti tibi pignora seu hypothecas, quas instrumento specialiter comprehensas esse dicis, competentibus actionibus Rector prouinciae auctoritatis suae auxilium impartiri non dubitabit. Humanitatis tantum et urbanitatis eas denunciations esse, non necessitatis, nisi dies non statuta fuerit ad soluendum, recte ACCURSIVS notauit. Aliud quippe est, nude tantum denunciare debitori, ut soluat, eumque interpellare, ut constituatur in mora, citra quam ut hypothecaria actione res auocetur, utique non fuit permittendum, aliud excutere prius debitorem instituta actione personali, quam ad pignoris possessorem deueniri possit. Idemque in tacita hypotheca non minus, quam expressa, obtinuisse, contra ANT. FABRI argutias de Errorib. pragmat. Decad. VI. err. 9. docet BACHOVIVS de pignor. et hypoth. Lib. III. c. 17. n. 1. Quod vero, si fiscus persequeretur hypothecam, ex decreto Imperatoris placuit, prius debitorem eiusue heredes conueniri debere, in reliquum, possessorem omnem, referente

te

POSSESSORI HYPOTH. SPEC. NON COMPETENTE.

te PAVL o in l. 47. D. de iur. fisc. id benignitate Principis, fisco suo ne ius quidem commune tribuentis, ut sub bono Principe malam plerumque fisci caussam esse, PLINIVS in Paneg. c. 36. dixit, contra regulas iuris ita decretum esse, haud obscure significat ipse PAVLVS in d. l. aequum putasse Imperatorem, dicens. Hoc igitur ius fisci, vt BALDVINVS in Iustiniano, ad Nouell. IIII. et NOODT comment. ad Pand. p. 441. obseruant, prorsus singulare fuit: quod male ad iuris antiqui regulam refert CVIACIVS in exposit. Nou. IIII. quam semper secutum esse fiscum, priuatos autem eo iure uti desisse contendit, sine omni iuris auctoritate, imo contra manifestam iuris auctoritatem.

V.

LIBERA QVOQVE ELECTIO FVIT, SI FIDEIUS SORES
PRAETER PIGNORA DATI.

Solent saepe creditores, ne pignore quidem contenti, accipere fideiuſſores praeter rem sibi obligatam, dum curant, ut diligentius sibi cautum sit. Et tum quoque, si cui praedibus praediisque, secundum veterem formulam, cautum esset, libera olim fuit electio conueniendi reum principalem, vel fideiuſſores, vel possessores hypothecarum, nisi aliud conueñiserit, l. 2. et 5. C. de fideiuſſ. vel simul eodem tempore, in solidum, aut diuisis actionibus, l. vlt. C. de oblig. et act. l. 3. §. vlt. D. de duob. reis, l. 13. §. 4. D. de pignor-
-endit

B

et

et hypoth. Quin et variandi facultas ei fuit, atque, uno electo, ad alium transeundi, l. 23. et 25. l. vlt. C. de fideiuss. l. 56. D. mand. Nouo demum iure, constitutionibus Principum, id inductum esse, putat c vi aci-
vs. Legem enim antiquam, cuius meminit iusti-
nianus in Nouella III. pr. fuisse, ait, quae prius conue-
nire iusserit debitorem pecuniae creditae, quam accessiones. Vetustissimam eam legem, coniicit, esse legem XII. tabularum: quoniam cicero ad Attic. Lib. XII. epist. 14. et 17. demonstret, sponsorem i. e. fideiussor-
rem conueniri non posse, si reus locuples sit, et Lib. XVI. epist. 15. moneat, sponsores Dolobellae, si appelle-
rentur, item non contesturos, quo facto illi, Dolobella existente locuplete, liberentur. Verum enim vero, quum legibus XII. tabularum aduersus pignoris possessorum tertium nulla fuerit actio, Seruiano Edito demum introducta, sane constat, nihil in tabulis Decemuiralibus caueri potuisse, de principali reo ex-
cutiendo, antequam ad pignoris possessorum venire-
tur. Imo vero nec fideiussoribus fauere passus est priscus iuris Quiritium rigor, qui fidem in negotiorum contractibus, maximeque in pecuniae mutuatitiae usu at-
que commercio, sanxerat, vt ait sex. CAECILIVS lu-
reconsultus apud GELLIVM Noct. Attic. Lib. XX. c. 1. Et notum est vetus illud: Sponde, noxa praeflo est. Re-
ctius forsitan legem Petiliam Papiriam de obaeratis,
anno V. C. CCCXXVII. latam, dum ea debitoribus
subue-

POSSESSORI HYPOTH. SPEC. NON COMPETENTE. II

subuenit, ut pecuniae creditae bona eorum, non corpus obnoxium effet, teste LIVIO Lib. VIII. c. 28. miseriam quoque fideiussorum alleuasse, et, ut debitor pecuniae creditae prius excuteretur, cauisse, ad eamque legem antiquam IVSTINIANVM respexisse, non sine specie dicetur. Neque vero IVSTINIANVS memorat legem veterem, quae debitorem ante pignoris possessorem conuenire iusserit: sed tantum illud ius antiquum reduxit, dict. Nou. c. I. ut debitor principalis prius, quam fideiussores, mandatores, sponsores conueniantur, modo debitor sit praefens, aut fideiussor absentem debitorem intra datum a iudice tempus arcessat iudicioque sistat: quum alias acerbum sit, credorem mittere alio, quum possit mox intercessorem, aut mandatorem, aut sponorem exigere.

VI.

QVOD MVTATVM A IVSTINIANO, ET UT DEBITOR
ET FIDEIUS SORES ANTE PIGNORVM POSSESSORES
EXCVTIANTVR, CONSTITUTVM IN
NOVELLA IIII.

Quae quum ita sint, non ius antiquum reuocavit,
sed nouum plane introduxit, dum in Nouella IIII.
c. 2. constituit Imperator, ut prius agatur personali
actione aduersus debitorem et accessiones, fideiusso-
res, mandatores, sponsores, quam hypothecaria in-
tendatur aduersus extraneos possessores hypotheca-
rum, et prius agatur aduersus extraneos possessores

rerum fideiussoris, sponsoris, aut mandatoris. Cuius constitutionis ratio utique fuit, quod aequitas posse re videbatur, ut illi prius excuterentur, cum quibus actum et contractum fuit, quam conueniantur rerum oppignoratarum possessores, qui non sic obligari sunt creditoribus, ut fideiussores dati, quique imprudentes fortasse in rerum obnoxiarum possessionem, itide in pignoris obligationem inciderunt. Et mouent sane verba Nouellae generalius concepta: Sed neque AD RES DEBITORVM, QVAE AB ALIIS DETINENTVR, veniat prius, antequam transeat viam super personalibus contra mandatores, et fideiussores, et sponsores: siveque AD RES VENIENS PRINCIPALIS DEBITORIS, SIVE AB ALIO DETINEANTVR, ET DETINENTES EAS CONVENIENS: ut hoc beneficium nouae constitutionis quorumlibet pignorum possessoribus propositum intelligamus, neque vel illis accedamus, qui de sola hypotheca generali Imperatorem, quin hanc legem ederet, sensisse, autumant, vel illis adsentiamur, qui ad solum casum, ubi fideiussores praeter hypothecas dati sint, Nouellae dispositionem restrictam esse, non vero ad casum omissum, ubi tantum pignora contractui accesserunt, eam pertinere volunt.

VII.

QVIBVS POSSESSORIBVS BENEFICIVM EXCVSSIONIS DATVM SIT.

Datum

Datum igitur fuit hac lege beneficium excussionis possessoribus rerum, siue in genere, siue specialiter oppignoratarum, suo scilicet nomine possidentibus, ac proinde animo et affectione sibi habendi eas tenentibus, l. 3. §. 3. l. 41. l. 46. D. de acquir. vel amitt. poss. vt hic intelligendos esse *νατέχοντας*, delinquentes, quos Imperator dicit, ratio iuris ostendit. Qui enim tantum ut commodatarii, depositarii, conductores, et si qui sunt similes, rem detinent, in possessione tantum alieno nomine sunt, l. 9. l. 10. §. 1. l. 18. pr. D. de acquir. vel. amitt. poss. et actione reali pulsati, auctore suo nominato, lite in totum eximuntur, l. 2. C. vbi in rem act. nec proinde excussionis auxilio opus habent. Sicut nec illi, qui non suo, sed debitoris nomine, instar procuratoris pignori incumbit, haec exceptio competit; quoniam debitori ipsi non datur, aduersus quem siue personali, siue hypothecaria, siue ambabus actionibus uti voluerit creditor, agere omnino ei liberum porro esse voluit IVSTINIANVS. Vnde manifestum est, neque secundo creditori, rem obligatam tenenti, exceptionem hanc proficere, quippe qui imaginem debitoris principalis obtinet, eique possidet, l. 7. §. 2. C. de praescr. 30. vel 40. annos.

VIII.

IDEA BENEFICIVM POSSESSORI SPECIALIS HYPOTHECAE NEGATVM IN NOVELLA CXII.

B 3

Hoc

Hoc modo *infractam esse*, ut BALDVINVS l.c. ait, vim hypothecae, habebant omnino, quod non iniustis querelis dolerent creditores. Illis praesertim aegre fiebat, qui in creditum euntes ad res certas respexerant, easque specialiter ac nominatim pignoris nexus sibi obligari curauerant. Horum itaque in gratiam I V S T I N I A N V S, septimo ferme anno post *Nouellam* IIII. editam, oblata occasione, dum de litigiosis nouam constitutionem promulgabat, vim hypothecae specialis magis atque magis confirmauit. Statuit enim in *Nou. CXII.* c. i. vt, si res aliqua creditori nominatim et specialiter obligata sit, quam deinde vendiderit debitor, possit creditor, quum de pretio ipsi non fuerit satisfactum, statim, etiam non excusso debitore, rem illam actione hypothecaria persequi. Hac dispositione illud, quod de reo principali prius exequiendo in *Nou. III.* sanxerat, ad casum restrinxit, vbi aduersus generalis hypothecae possessorem actio intentatur, specialis autem hypothecae possessori idem beneficium negavit: ne ius creditoris ex alienatione rei specialiter obligatae villo modo deterius fiat. Ita enim edixit: *Ab hoc autem litigiosi vocabulo hypothecas separari decernimus; et in his hanc distinctionem tenere: ut siquidem SPECIALES RES, mobiles, vel immobiles, aut se mouentes NOMINATIM fuerint hypothecae suppositae, liceat quidem debitori eas, cui et quando voluerit, vendere: sic tamen, ut ex pretio earum usque ad*

ad debiti quantitatem satisfaciat creditori. Si autem hoc debitor non fecerit, damus licentiam creditori, qui rem venditam suppositam habet, eandem rem VINDICARE, donec ei satis pro debito fiat.

VIII.

HYPOTHECAE SPECIALIS ET GENERALIS
RATIO DIVERSA.

Mouerat IUSTINIANVM humanitatis ratio, vt in *Nou. IIII.* extraneos pignorum possessores iunaret ordinis beneficio, quo muniti creditorem, hypothecaria aduersus se agentem, remittere possent ad debitorem et fideiussores. Mouebat nunc aequitas, faciens pro creditore, qui speciali pignoris nexu rem certam sibi suppositam ac devinctam habet. Hanc igitur persequendi et vindicandi facultas non debebat illi difficilior reddi per alienationem a debitore suscepitam. Etenim ipsa naturalis ratio dictat, rem certam, a creditore specialiter electam, ac nominatim in crediti securitatem ei obligatam, arctiori nexu devinctam esse, quam debitoris bona generaliter et perfusorie oppignorata. Vnde regula interpretibus iuris celebrata, *pignus speciale magis adficere rem, quam generale.* Sane arctioris nexus effectum animaduertimus in rerum obligatarum alienatione: quae si suscipiantur a debitore sciente in rebus specialiter oppignoratis, furtum sit intuitu creditoris, *l. 19. §. ult. l. 66. D. de furt. et stellionatus committitur, l. 3. §. i. D. de stellion.*

stellion. quod secus est in pignore generali, per d. l. 66. Hinc etiam venit, quod specialis oppignoratio serui impedit manumissionem, non vero generalis hypotheca bonorum, l. 29. D. qui et a quib. manum. l. 2. 3. C. de seruo pign. dat. manum. Accedit, quod alienatione rei specialiter oppignoratae magis noceatur creditor, rem aliam sibi obligatam non habenti, quam debitor teneat; in generali autem hypotheca omnia debitoris bona deuincta sint, vnde, si una vel altera res fuerit distracta, adhuc de reliquis a debitore possitis hypothecaria ipsi debitori possit moueri. Atque illud ipsum est, quo conditio creditoris deterior fieret per beneficium excussionis, dum alienatione rei specialiter oppignoratae ablata ei est electio, vtrum personali actione debitorem conuenire, an statim rem sibi obligatam perseQUI velit: vbi, si ad excutendum debitorem, imo et fideiuissores, remitteretur, non sine molesto circuitu et sumtu suum repetere cogeretur: id quod cum iure per specialem hypothecam quaesito vix consistere potest.

X.

MENS NOVELLAE C XII. C. I. PLANIUS

EXPOSITA.

Vt vero de mente Imperatoris in *Nou. C XII. c. I.* certius constet, ipsam sanctionis seriem et contextum diligentius expendamus. Quid efficeret

rem

rem litigiosam, nondum satis definitum appareret, statuit **IUSTINIANVS**, litigiosam rem esse, de cuius dominio quaestio inter petitorem et possidentem mouetur, vel per iudicialem citationem, vel per preces Principi oblatas iudicique insinuatas, et per eum reo notas factas. Quumque in l. vlt. C. de litigios. a poena in alienationem rei litigiosae constituta liberos pronunciasset eos, qui vel dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut diuisionis rerum hereditiarum factae, vel per legati, vel per fideicommissi causam litigiosas res dederint vel acceperint: adiicit nunc, si reus pendente lite moriatur, eius heredes libere posse diuidere: hanc enim diuisionem pro alienatione non intelligi. Addit porro de re litigiosa legata, litis euentum legatario relictum, neque ab herede quid ultra praestandum esse. Deinde vero ab illa, quam definiuit, *litigiosi* appellatione separat *hypothecas*: de quibus sicut olim rescriptum fuit in l. 2. C. de distract. pign. Creditorem, qui hypothecae seu pignori rem sibi nexan vendidit, litigiosam rem non videri vendere, et in l. 1. C. de litigios. Quum creditor pignus vendit, non posse videri litigiosae rei emisionem contrabi, et si debitor contradicat, ne venditio persiciatur: ita nunc decernitur, licere debitori res hypothecae suppositas, cui et quando voluerit, vendere, sic tamen, ut ex pretio earum usque ad debiti quantitatem satisfaciat creditori. Diserte vero hanc distinctionem inter specia-

C lem

lem et generalem hypothecam constituit Imperator, vt, si res singulares, mobiles vel immobiles, vel se mouentes, nominatim hypothecae suppositae fuerint, quas debitor vendiderit, nec tamen ex earum pretio satisfecerit creditori, qui hypothecam in re vendita habet, licentia ei sit, eandem rem vindicandi, donec de debito ei satisfiat. De generalibus autem hypothecis postea subiicit, eas multo magis litigiosi appellatione non contineri, sed earum actiones secundum priorum legum constituta examinari debere, ac proinde reum principalem prius excutiendum esse, quam aduersus possessorem hypothecaria agatur. Hac inter specialem et generalem hypothecam distinctione constituta, secundum quam *in fine cap. i. huiusmodi certamina terminari iterum iubet*, quum in hypotheca speciali *vindicandi* licentiam creditor, adeoque statim aduersus emtorem pignoris hypothecaria experiendi, permiserrit, ex parte reduxit ius vetus, de quo supra diximus, nimirum, vt distracto pignore specialiter obligato creditor electionem haberet, vtrum personaliter obligatos sibi, an pignus possidentem in rem actione conuenire vellet, *l. 14. C. de pign. et hypoth.* Iam igitur et ratio patet, quam habuit Imperator, vt in hac nouella constitutione *de litigiosis* ista, quae exposuimus, de speciali hypotheca sanxerit: et quum non ius omnino nouum sit, quod ibi statuit, facile intelligitur, quare id statuerit sine praefamine et correctionis mentione

tionē, quibus alias iura a se noue ordinata commendare solet. Sane etiam in *Nouella IIII. c. 2.* sine folle-mni apparatu, ac velut obiter, mutationem illam iuriis veteris, ut reus principalis et fideiussores ante pi-gnora discuterentur, introduxerat.

XI.

REFELLVNTVR INTERPRETES, QVI NOVELLAM
CXII. AD HYPOTHECAM LITIGIOSAM
RESTRINGVNT.

Nihil itaque causae est, quare a simplici, quam secu-ti sumus, *Nouellae CXII.* interpretatione deflecta-mus, et, quod in contrariam partem euntes agunt, illam cum *Nouella IIII.* in concordiam reducere alla-boremus. Hanc operam qui nauant, dum specialis etiam hypothecae possessori extraneo beneficium ex-cussionis saluum atque illibatum mansisse contendunt, omnes aliquid *Nouellae CXII.* addunt, quod non o-missurus fuerat Imperator, si tale quid mente agitas-set. Illi enim vel cum **IACOBO DE RAVENNA** et **ALBERICO ROSATA** supponendum esse dicunt, ex-cussum iam debitorem principalem: vel cum **IO-HANNE** Glossatore, quem sequitur **DONELLUS** comment. ad l. 14. C. de pign. et hypoib. Nouellam CXII. accipiunt de casu speciali, quando debitor vendidit rem, lite contra se contestata, atque ita rem litigio-sam: vel cum **C VIACIO** illam exponunt de casu,

quo cum debitore personali actione creditor egit,
qui deinde, quum debitor lite pendente pignus ven-
diderit, etiam aduersus emtorem pignoris agere pos-
sit actione hypothecaria. Praestantissimus Nouella-
rum interpres, CVNR. RITTERSHVSIVS *Iur. Iuslin.*
Part. III. c. 2. n. 34. vbi haec sententiarum diuertia
recenset, in illa **C VIAC II** explicatione merito desiderat
probationem eius, quod de personali actione debitori
prius intentata dixit, ipse vero expositionem **JOHANNIS**
et **DONELLI** suam facere non dubitat. Sed et
huius interpretamenti meliorem, quam a **DONELLO**
datur, probationem iure postulamus. Faterur ipse, Im-
peratorem in *Nou. CXII.* qua parte agit de hypothecis
alienatis, nihil exprimere, quo tempore alienatae sint,
vtrum controuersia de his aduersus debitorem mota,
an vero non mota: ait tamen, de iis agi, quae, mo-
ta aduersus debitorem controuersia, postea alienatae
sunt, cum ex instituto **IVSTINIANI** satis intelligi,
tum ex exceptione, quam priori disputationi subie-
cerit. Institutum eius esse, tota illa constitutione a-
gere de rebus litigiosis, quamobrem de hypothecis a-
gentem etiam de iis intelligendum esse, quatenus liti-
giosae videri possint. Prius autem ab eo definitum
esse litigiosum, *de quo lis possessori mota erat:* deinde
excipi ab ea definitione hypothecas. Non vero posse
exceptionem dici, nisi quae verbis et finibus defin-
itionis contineatur. Verum enim vero, vt argu-
men-

mento ex rubrica *de litigiosis ducto*, quod parum valere, nemo nescit, haud immoremur, ex illa, quam at-
tulimus, Nouellae explanatione appareat, non hoc fan-
xisse Imperatorem, ut a definitione rerum litigiosarum,
de quibus lis possessori mota, et quae propterea alienari prohibitae sunt, exceptae esse debeant hypothecae,
ut illas, et si litigiosas, vendere liceat debitori:
sed hypothecas a definitione litigiosarum rerum eum
omnino separasse, tanquam ad illam haud pertinentes.
Litigiosam rem definiuit, *de cuius DOMINIO contro-
uersia mota est.* At, actione hypothecaria aduersus
debitorem instituta, certe quaestio de dominio rei
oppignoratae non est inter creditorem et debitorem:
ergo hypotheca litigiosa finibus definitionis rei li-
tigiosae non continetur. Imo vero, quod IUSTI-
NIANVS ait, licere debitori res hypothecae
specialiter suppositas vendere *cui et QVANDO*
voluerit, h. e. lite sibi a creditore iam mota, vel
ante, id manifesto indicio est, vindicandi licentiam
quoque creditori vtroque casu dari. Quare firmis-
timo stant talo, quae olim HENR. HAHNIVS,
acutissimus Iureconsultus, huius Academiae honos,
in *Obseru. theor. pract. ad Wesenb. comment. in Dig.*
tit. de distract. pignor. disputauit, parum facere, siue
specialis hypotheca vendita sit ante litem, siue post li-
tem a creditore debitori motam: et licet ponatur,
Nouellam CXII. forte accipiendam esse de casu, quo

lis mota fuerit, tamen rationem decisionis in eo singularem nullam esse, sed in hoc positam, quod alienatione specialis hypothecae conditio creditoris longe reddatur deterior, quam si fuisset generalis: haec ratio vero quum pro tali creditore semper militet, siue lis de hypotheca mota sit iam ante, aut pendeat inter debitorem et creditorem, siue non; inde etiam utroque casu creditori electionem concedi, agendi contra emtorem possidentem, minime excusso debitore principali. Accedunt argumenta, a BRVNNEMANNO ad l. vlt. C. de oblig. et act. interpretationi restrictiuae opposita: nimirum non apparere rationem, cur creditor, pignore alienato, postquam lis debitori mota personalis, statim posset agere contra successorem singularem, nec quo iure, lite in iudicio pendente super ipso debito, vel super hypotheca, cogeretur debitor ex pretio satisfacere creditori, et quomodo daretur actio contra tertium, quum tamen lis de actione personali, vel iure hypothecae nondum sit finita.

XII.

CONFUTATVR EXPOSITIO NOVELLAE DE POSSES-
SORE FRAVDIS PARTICIPE.

Haud magis siue verbis siue menti Nouellae conuenit sententia eorum, qui supponendum esse, a-iunt, easum, vbi tertius, sciens pignoris vinculum, pignus nihilominus emerit, neque operam dederit,

vt

vt ex pretio creditori satisficeret. Huius interpretationis, quam *Additio glossae ad Anib. Hoc si debitor, tribuit modernis, patronum et BACHOVIVS de pignoribus, et hypoth. Lib. III. c. 17. egit, et GE. FRANTZKIVS Var. Resolut. Lib. I. resol. 12.* causam late perorauit: qui quum multos celebriorum ICtorum in adsensum traxerit, tum vero in primis WERNHERVS eandem sententiam propugnauit *Obseruat. Forens. Part. I. obs. 130.* ac deinde peculiari dissertatione *de beneficio ordinis fine excussionis possessori extraneo aduersus creditorem, si ne ex generali siue speciali hypotheca agat, contra spuriam Nou. CXII. c. 1. interpretationem, competente.* Mira-
ri omnino conuenit, WERNHERVM tanta fiducia a-
gere, vt ad sensuum fidem prouocet, quo lectori,
Nouellam de casu isto diserte loqui, persuadeat. Ita
enim *Obseru. l. c. inquit: Vbi illud primo manifestum est, dictam Nouellam, quatenus a priori recedit, eamque corrigit, ceu ius exorbitans, strictissime interpretandum, nec ultra casum, de quo expresse disponit, proferendam esse.*
*Atqui ex conspectu illius ad oculum cuius patet, non de omni possessore hypothecae specialis in ea sermonem esse, sed de solo emtore, qui non id egit, vt ex pretio credito-
ri satisficeret, atque adeo qualitatem pignoris rei emiae in-
haerentem sciuit.* Quem quidem, quum fraudulenter e-
gisse, adeoque in dolo versari videatur, iuris beneficio in-
dignum esse, in aprico est. Circa hunc igitur casum, quem
memorata Nouella complectitur, subsistendum in regula

Nou.

Nou. III. quae cuius indistincte pignoris possessori exceptionem excusionis indulget. Aut auctoritati perspicacis et eximii Iureconsulti, aut oculis suis diffidere oportet lectorem, si requirat in Nouella, qua de agimus, casum, quem ille dicit, ibi expressum et ad oculum cuiuscunque patentem. Non eo processerat FRANTZKIVS, vt casum de emtore pignoris conscientia et fraudis participe in Nouella expressum esse adsereret, sed tantum ex eo, quod Imperator iusserit, de pretio rei venditae creditori satisficeri, intulerat cum BACHOVIO, emtori simul hanc obligationem imponi, vt curet pecuniariam peruenire ad creditorem: quod si factum non sit, emtorem quasi in fraudem illius mercatum videri, atque ob id protinus creditori actionem hypothecariam aduersus emtorem permitti. Enimvero dixerat SICHARDVS in l. 14. et Auth. Hoc ita C. de pignor. et hypoth. in fin. vitium litigii quidem proprium non contrahi, quando pignus post litem a creditore motam alienatur, sed aliquo tamen modo adfici pignus, et ideo in odium alienantis rem, quae in iudicium deducta est etiam sub nomine pignoris, constitutum esse, vt creditor tunc habeat electionem agendi contra tertium, non excusso debitore. Apparebat facile, hanc sententiam pugnare cum Nouella, in qua diserte negatur, controversiam de hypotheca impediare alienationem proprietatis: quare etiam BACHOVIVS l. c. explicationem Nouellae de casu rei venditae post

post litem contra debitorem motam, prorsus improbavit. Clarebat porro, alienati pignoris odium, si quod foret, redundare debere in ipsum debitorem, qui alienauit, non in emtorem, qui hypothecae possit esse ignarus: ne alteri per alterum iniquior conditio inferatur. Non itaque alia succurrebat ratio probabilis, ob quam actio hypothecaria statim aduersus emtorem rei oppignoratae competere diceretur, quam si dispositio haec Nouellae exponeretur de emtore, qui nexus hypothecae sciens, rem comparuerit, nec tamen curam gesserit, ut ex pretio solueretur creditori. Verum sicut huius rationis, ab interpretibus tantum excogitatae, nullum vestigium in Nouella comparet, ita nullum quoque idoneum argumentum adfertur, quare illa de solo emtore, non de alio ex quoconque titulo possessore, intelligenda sit. Etsi igitur venditionis tantum in Nouella mentio fiat, valet tamen in ceteris alienationibus aequitatis et reæ interpretationis regula, quæ, ut CICERO Topic. c. 4. ait, *in paribus causis paria iura desiderat.*

XIII.

EXPLICATIO NOVELLAE CXII. PROPOSITA
CONFIRMATVR.

Remota itaque *Nouellæ CXII.* ad casum vel hypotheciae, vel personalis actionis debitori motae, et ad casum emtoris fraudulentí, restrictione, manifestum

D stum

stum est, posteriori hac sanctione in hypotheca speciali derogatum esse *Nouellae IIII.* Neque prorsus deest iuris noue fanciti indicium in verbis: *DAMVS LICENTIAM creditor i eandem rem vindicare:* quae sane ius, per legem anteriorem haud competens creditor, hac lege datum significant. Accedit differentiae inter specialem ac generalem hypothecam noue constitutae dissentia et geminata mentio, cum in verbis: *in his hanc distinctionem tenere, tum in fine capituli: et haec quidem de litigiosis, et speciali nec non generali hypotheca dispositus,* ut iam nulla de his in iudiciis dubitatio generetur: *sed secundum distinctionem huiusmodi certamina terminentur.* Evidem non negant dissentientes, nouum ius hic propositum, et distinctionem inter speciales et generales hypothecas constitutam esse: negant autem, factum hoc esse ideo, ut creditor facultas sit, rem speciatim obligatam vindicandi a possessore tertio, non excusso debitore. Aiunt igitur, quum antea pinguis a debitore distrahi potuerit, lite per creditorem ipsi mota, vtramque quidem hypothecam, tam speciale, quam generale, ratione rei oppignoratae a vitio litigiosi exemptam, differentiam tamen hanc constitutam esse, ut res specialiter obligatae non aliter distrahi possint, quam si ex pretio earum creditori satisfactum fuerit; at distractio unius alteriusue rei, generali hypothecae suppositae, indifferenter valeat. Ita cum *FRANTZKIO cit. resol. n. 30.* *Nouellae men-*
tem

tem explicant STRVVIUS in *Euolut. controuers. ad Synt. iur. ciu. Exercit. XXVI.* §. 38. et BERGERVS *Resolut. Lauterbach. ad tit. de pignor. qu. 2.* Ius itaque nouum a IVSTINIANO hac Nouella introductum in eo confistere existimant, quod rei specialiter oppignoratae alienatio, post litem debitori a creditore motam, nunc prohibita et inualida sit, nisi creditori ex pretio satisfiat, et quod propterea creditor eam ab emtore recta vindicare possit. Sed prohibitionem hanc in textu plane non videmus expressam. Potius permittit Imperator debitori, rem hypothecae suppositam alienare, quod antea quoque licebat, *l. 9. C. de pign. l. 10. C. de remiss. pign. l. 12. C. de distract. pign.* admonet tantum, ut, quod bona fides postulat, ex pretio integrum debitum soluat: alias licentiam dat creditori, rem venditam, quam hypothecae suppositam habet, vindicare, donec ei satis pro debito fiat. Quod autem de hypothecis a litigiosi vocabulo separandis praemisit, id non alia mente factum, quam ut dubitationem tolleret, anne creditoris denunciatio, debitori, ne rem pignori sibi obligatam distrahat, vel his, qui ab eo volunt comparare, facta, litigiosae rei vitium forte inducat. Similiter olim dubitatio, anne denunciatio et contradicatio debitoris, ne venditio perficiatur, rei pignori obligatae, tanquam litigiosae, venditionem impediret, sublata fuit rescripto, quod iam supra memorauimus, Imperatorum SEVERI et ANTONINI in *l. 1. C. de litig.*

D 2

eadem

eademque plenius decisa in L. 2. C. debitorem vendit. pignor. imped. non posse, vbi GORDIANVS rescripsit: Debitoris denunciatio, qui creditori suo, ne sibi rem pignori obligatam distrahat, vel his, qui ab eo volunt comparare, denunciat, ita demum efficax est, si vniuersum tam fortis, quam usurarum offerat debitum creditori; eoque non accipiente, idonea fide probationis (ita ut oportet,) depositum ostendat. Nam si vel modicum de sorte, vel usuris, in debito perseveret, distractio rei obligatae non potest impediri: neque ea ratione emtor, tametsi sciat interpositam a debitore creditori denunciationem, malae fidei sit possessor. Quod ibi definitur, debitorem tunc demum impedire posse distractionem, si vniuersum, tam fortis, quam usurarum debitum offerat creditori, ad id respiciens IVSTINIANVS statuit, debitori venditionem rei speciatim obligatae tunc omnino liberriam esse et cum plenissima securitate emtoris fieri, si ex pretio rei venditae satisfiat creditori: hoc autem non facto, licentiam dedit creditori rem sibi hypothecae suppositam vindicandi, plane sicut possidente adhuc debitore statim hypothecaria agere poterat creditor. Differentiae inter specialem et generalem hypothecam ab Imperatore constitutae ratio, iam a nobis exposta, quod illa sit arctiori nexu deuincta, et quod illius alienatio magis noxia sit creditori, verbo, natura specialis hypothecae, vt bene dixit GOTHOFREDVS in not. ad banc Nou. penitus intelligetur, si cogitamus, hypo-

hypothecam rerum singularum, nominatim pignoris
nexui suppositorum, quodammodo successisse in locum
fiduciae pignorum, ino et nomen huius, glossis Graeco-
latinis et monumentis eius aeui testantibus, adsum-
isse, postquam usus fiduciae cum mancipationis et in
iure cessionis sollemnitatibus euanuerat. Et ad hanc
specialis hypothecae praे generali prerogatiua allu-
dere verbum, *vindicare*, quo IVSTINIANVS utitur,
acute obseruauit TESSAVRVS in *Decif. Ll. n. 6.* quasi ex
speciali hypotheca dominium in creditorem translata-
rum videatur, adeoque, data vindicandi licentia, exclu-
di prorsus omnem excutiendi prius debitoris neces-
sitatem.

XIII.

AEQVITAS CESSANTIS EXCUSSIONIS IN HYPO- THECA SPECIALI VINDICATVR.

Atque haec ipsa, inter specialem et generalem hy-
pothecam, differentiae ratio confirmat aequitatem
negati in illa beneficii excussionis aduersus institutam
pignoris vindicationem. Parum valet, quod obii-
citur, aequitati aduersari, tertium possessorem igno-
rantem, ob alienum debitum, re possessa spoliari prius,
quam exploratum sit, anne dissoluendo credito suf-
ficiant vires debitoris. Sane ius, creditori in re nomi-
natim obligata quaesitum, facit, ut nulla inferatur
iniuria possessori, dum ille utitur pignoris persecutio-
ne, statim in rem agendo, l. 17. D. de pignor. et vindican-

D 3 do

do rem iure pignoris ad se speciatim pertinentem, vbi
eam inuenit: quamuis possessor non exiguo incommo-
do adficiatur, dum possessione cedere cogitur. Potest e-
nim ab ea cedendi necessitate sese liberare, soluendo cre-
ditori, l. 16. §. 3. D. eod. tit. ac solutum, cum eo quod
interest, ab auctore suo repetere. Imo poterat, quum
rem compararet, vel cautionem poenae nomine, si quis
pignoris nexus esset, ab auctore suo exigere, vel cre-
ditores editis propositis citandos curare, eoque secu-
ram sibi ab hypothecariae actionis periculo possesso-
nem efficere. Nullum vero prorsus fauorem meretur
debitor, qui rem pignori oppositam alienauit, neque ex
pretio creditori satisfecit, si deinde a possessore non so-
lum ad pecuniam, quam soluit, refundendam, sed etiam
ad damna resarcienda ac lucrum interceptum praestan-
dum, conueniatur. Mirari conuenit, GVNDLINGI-
VM in Singular. de beneficio excussionis capit. c. 5. §. 9. debiti-
oris causa se in primis commotum profiteri, vt nec in
speciali hypotheca denegandum existimauerit posses-
sori excussionis beneficium. *Iura enim, ait, aere op-
pressis fauent: et ingens vero damnum facerent, si ex-
cussione omissa, deinde quoque refundendum haberent,
quod ob actionis hypothecariae vim incommodeumque vel
expendendum fuit, vel etiam amissum.* Iura quidem a-
lienno aere oppressis fauent, sed non decipientibus, qua-
lis est debitor fraudis et in creditorem, et in emtorem
rei obligatae, reus: neque damnum sua culpa sentienti-
bus leges auxilium impertiuntur.

XV.

XV.

ADSENSVS PRAESTANTIVM IVRIS INTERPRETVM
ET VSVS FORENSIS.


Quod itaque melius et aequius est, non iudicabimus ex multitudine auctorum: commendationem tamen sententiae his, quas explicavimus, rationibus minuitae addere licebit a suffragiis illustrium Iureconsultorum et ab vsu forensi. Et CVIACIVM quidem, tanquam adstipulantem Obseruat. Lib. VIII. c. 19. frusta excitatum esse CARPZOVIO, verissime monuit FRANTZKIVS, nosque illum inter antesignanos aduersae partis memorauimus. Sed eximiam nobis auctoritatem in primis praestant FRANC. BALDVINV, solertissimus legum AVSTINIANO conditarum interpres, in comment. ad Nou. IIII. et CXII. et DION. GOTHO-
FREDVS, spectatissimum in scholis et foro nomen,
not. ad Nou. CXII. Quid? quod perspicacissimus VLR.
HVBERV, contrariam sententiam, quam in Position.
ad tit. Pand. de pignor. et hypoth. n. 13. amplexus fue-
rat, postea in praelection. ad eund. tit. n. 9. haud obscu-
re deferuit, nec aliam Caeſaris ipsius revera mentem esse
videri, pronunciauit. Animum quoque in adsensum omnino procluem declarauit IO. VOET comment. in
Pand. tit. qui pot. in pign. n. 3. Factum hinc est, vt
BERGERVS etiam, defensa prius aduersa opinione,
resolut. Lauterbach l. c. tamen transferit in hanc par-
tem, re accurate perpensa, et haud leuibus permotus

momen-

32 DE BENEF. EXCVSS. POSSESS. HYPOTH. SPEC. ETC.

momentis, vt ait, dissensum indicans a collegis in Electis Discept. for. tit. 44. obs. 2. n. 1. eaque rationum momenta in primis ICtos Helmstadienses in pererudito responso apud HAHNIVM ad Wesenbec. de distract. pign. n. 1. repraesentasse. Vsu fori iam olim receptam esse hanc sententiam, omnes vno ore fatentur cum STRYKIO de inuestig. act. sec. 2. m. 5. §. 8. et de constit. et persecut. pignor. §. 39. idemque ex TESSAVRI cit. decis. 51. BERLICHII conclus. P. II. c. 24. n. 67. seq. CARPZOVII Lib. II. Resp. 72. et Iurisprud. for. P. II. Const. 18. def. 18. MEVII P. II. decis. 286. n. 5. et P. V. decis. 363. n. 2. BRVNNEM. Cent. I. decis. 47. aliisque, intelligitur. Morem secundum eam pronunciandi, a decessoribus traditum, laudatum ab ill. DE LEYSER Medit. ad Pand. Specim. 225. coroll. 2. Ordo Iureconsultorum Helmstadiensium, non exemplis, sed lege et ratione adductus, hodieque seruat, et in hunc modum hoc ipso anno semel iterumque iudicauit.





HELMSTEDT, Diss., 1745-47

ULB Halle
004 599 888

3



f

TA → DL

nur 1+19 Stück verfügb!

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Pr. 9. num. 55. 174713 18

9

DISSESTITO IURIDICA INAVGVRALIS
DE
BENEFICIO EXCVSSIONIS
POSSESSORI HYPOTHECAE SPECIALIS
NON COMPETENTE

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAE SIDE
FRANCISCO CAROLO
CONRADI

SERENISSIMO BRVNNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM
DVCI A CONSILII AVLICIS ANTECESSORE IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA ORDINIS IVRECONSULTORVM
SENIORE ET H. T. DECANO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI
IN IVLEO MAIORI

AD D. XXI. SEPTEMBRIS MDCCXXXVII.
HORIS CONSVETIS ANTE ET POST MERIDIENAS
PVBLICAE DISQVISITIONI
SVBMITTIT

HENRICVS CHRISTOPHORVS REDEKER
HAGA SCHAVMBVRGICVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLII DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

